

**05**

**A**

**1955**





DEO TRINUNO ADJUVANTE 539.  
Disputatio Physica

DE  
H O M I N E,

cujus brevem delineationem

cum quibusdam quæstionibus annexis

*In Celeberrimâ Electorali Academia Witebergensi*

SUB PRÆSIDIO

*Excellentissimi juxta, ac Clarissimi*

V I R I

Dn. M. JOHANNIS Sperlings/  
Physices Profefs. Publici celeberrimi, Præce-  
ptoris & Promotoris sui omni observantiæ & honoris  
cultu prosequendi,

*Publicæ ac placidæ disquisitioni subjicit*

T O B I A S M E Z N E R

Pirnensis Electoris Saxonix Alumnus.

*Ad diem 31. August.*

In Auditorio Majori

*horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI  
ANNO M, DC. XXXVI.





### Præloquium.



*N* hoc universo Nature latifundio, res & ob magnitudinem, & ob parvitatem, & ob pulcritudinem mirabiles occurrunt infinite. Nam inter natatilia admiramur magnitudinem Cetorum: ex gressilibus Elephantorum: ex volatilibus Struthiocameli: & ex reptilibus Draconis. Secundum parvitatem non minus admiramur cuculicem, in quo egregia miracula latitant: muscam, quæ & majorem exhibet admirationem, quam Sol; & alia animalcula, in quibus tanta vis, & perfectio abscondita est, ut ferme in casum noster eat labor. Demirari etiam non cessamus pulchritudinem, quæ non modo in omnibus vegetativis verno tempore videre est, quo omnia quasi rident, & nos in admirationem conjiciunt: sed & in gemmis conspicitur, quæ veluti stelle terrestres terram tenebricosam illustrant, & ornant. Verum enim verò nihil mirabilius, nihilve admiratione dignius in Naturâ, cui uni famuletur, invenitur, quam HOMO: Hic omnem admirationem superat. Unde non immeritò θεῖος ille Plato ΕΙ Μ θαυματοποιάτων appellat, cui & Avicenna calculum addit, cum inquit: HOMO est opus supra mirabilia mirabile. Ac in eandem verè sententiam exclamat pia anima! O HOMO! quid miraris siderum altitudines, & profunditatem maris? animi tui abyssum intra, & mirare si potes. Nempe mens nostra quonam primariò intendat, & cogitationes suas figat? Non ad expansum stelliferumq; cœ-



lum, ubi duo luminaria magna cum stellis fixis & erraticis  
periodum suam mirabiliter absolvunt; neque ad pellucidum  
aerem in quo volucres circumvolitantes canora sua edunt,  
& suavissime modulantur; neque ad profunditates & decursus  
aquarum, in quibus innumerus numerus piscium natant, &  
vivunt; neque tandem ad fertilissimam terram, que nostri  
causa saluberrimos producit fructus; sed Homo SEIPSUM  
intueatur & admiretur. Quippe que supra, infra, & circa  
ipsum, speculanda, rimanda, & scrutanda veniunt; ea omnia,  
& adhuc plura, ipse intra se possidet. Relinque ergo Homo,  
cetera, & Te ipsum discute, per Te curre, & in Te consiste; per  
Te incipiat cogitatio tua, & in Te finiatur. His, & alijs addu-  
ctus placuit DEI TRINITIVS precedente, & consequente  
gratia per brevem de Homine delineationem instituire, &  
huic aliquot questiunculas ex amphitheatro physico annectere,  
& proponere.

### THESES.

I.

Consideraturis Hominem, duo in conspectu habenda  
sunt, Vox videlicet, & Res.

II.

In Vocis consideratione tria spectanda veniunt: 1. Ety-  
mologia 2. Homonymia. 3. Synonymia, quæ paucis expedie-  
mus.

III.

In Etymologia Autores dissentiunt. Alij Hominem ab *opus* cum  
subtilitatis Magistro Scaligero derivant, & à consortio, & con-  
cordiâ dictum existimant. Alij hanc Etymologiam explodunt,  
& deducunt Hominem ab Humo, licet communis sit omnibus  
animantibus. Adam enim Ebraeis significat rubuit, rubicun-  
dus fuit.

IV.

Si attendamus Homonymiam, aliquando Homo usurpa-  
tur:

561.

tur concretivè, pro eo, quod habet humanam naturam: aliquan-  
do abstractivè pro eo, quod est Homo. Nos hoc loco non poste-  
riori, sed priori modo accipimus,

V.

Synonyma Hominis sunt, quod appellatur mortalis, à  
Græco *Θνητός*, Germanicè *Mensch* ab Ebraeo *Enosch*. Item,  
Deus Terrenus, Parvus Deus à sapientissimo Socrate, mundi  
Epitome, & naturæ delicia à Plinio. Item purum Nihil, quia  
ex Nihilo creatus, & in Nihilum redibit, & ab aliis aliter.

VI.

Paucis his de Onomatologia præmissis, nunc Rem ipsam  
aggredimur per hanc definitionem

*Homo est animal rationale.*

VII.

Causa efficiens generalis est Deus, proxima parentum  
conjunctio & cohabitatio, quibus suavissimæ lucis usuram post  
Deum debemus. Materia est terra pulvetea, postea verò utri-  
usque parentis seminium. Forma interna est anima à Deo in-  
spirata, & deinde per traducem propagata. Forma externa est  
ipsa hominis secundum membrorum proportionem legitima di-  
spositio, & rectitudo corporis juxta Poëtam

*Pronaq; cum spectant animalia cætera terram*

*Os homini sublime dedit, coelumq; tueri &c.*

Finis est Gloria Dei, ejusdemque Majestatis de prædicatio, so-  
cietatis civilis conservatio, & ipsius hominis beatitudo.

VIII.

Partes essentielles Hominis sunt Anima rationalis, & cor-  
pus organicum. Hic sicco pede præterimus animæ affectiones,  
de quibus in Pnevmaticâ agi solet. Cæteroquin ipsi tres prin-  
cipales gradus, & facultates attribuuntur, videlicet vegetativa,  
sensitiva, & intellectiva, quibus cunctis anima hominis prædita  
est, ut non opus sit formas in uno composito multiplicare.

IX.

Aliis sunt plures facultates animæ, quarum duæ prima-  
riæ, ut intellectus, & voluntas: duæ verò secundariæ, ut poten-  
tia ridendi, & potentia loquendi.

A 3

Intel-

X.

Intellectus est facultas animæ, quæ Homo res intelligibiles intelligit, & verum cognoscit.

XI.

Voluntas est facultas animæ, quæ bonum appetit, & malum fugit, in his tamen est libera.

XII.

Risus est facultas animæ quæ objecta risibilia representat.

XIII.

Sermo est facultas animæ quæ res conceptas enunciatione profert, & promit.

XIV.

Altera Hominis essentialis pars est corpus humanum, quod certis organis ad operandum est instructum.

XV.

Dividitur generaliter in caput, Collum, Thoracem, & artus; particulariter in partes exteriores & interiores.

XVI.

Verum propriè dividitur in partes similes & dissimiles.

XVII.

Similes sunt decem, ossa, cartilago, ligamenta, membrana, nervi, arteria, vena, fibra, caro, cutis.

XVIII.

Dissimiles partes sunt tres ventres, & actus.

XIX.

Infimus, qui continet organa naturalia, & inservit nutritioni & generationi.

XX.

Medius, qui appellatur Thorax, in quo vitales operationes latent, & ex hoc se exerunt.

XXI.

Supremus, in quo animales operationes expediuntur, & Caput, quod præcipuum contentum habet cerebrum, vocatur.

XXII.

Supersunt artus, qui manus & pedes comprehendunt.

Distri-



Distribuitur quoque Homo ratione sexus in Masculum & Femellam.

Denique & hæc distinctio occurrit, quâ Homo distinguitur in eum qui justam staturam habet, quam plurimi attingunt; & in eum qui quoad staturam peccat vel in excessu, ut Gigantes, vel in defectu ut Pygmæi.

### Quæstiones.

#### I. *An Homo Microcosmus possit appellari?*

Resp. Quicquid universa hæc mundi machina ambit, & comprehendit, illud in Synopsi quidam adumbratum Hominem continere, magno nonnulli verborum circuitu contendunt. Desiderat quis, inquit, supremam & invisibilem mundi partem, quæ Summi Numinis, & Intelligentiarum sedes creditur; intueatur caput, ubi inveniet sapientiæ officinam, animam & mentem, nempe, quæ per suas facultates Dei essentiam tacite, quasi ingerit: inveniet & ibi tres illas Hierarchias sensibus internis depictas, quibus adjunguntur sensus externi tanquam stipatores per Angelos indigati, qui jussa Majestatis divinæ expediunt, & mortaliū salutem promovent. Media & cœlestis Megacosmi pars in Homine est, ajunt, Thorax, ubi calidum innatum cœlum denotat, quod singulari influxus virtute prædatum est. In hoc, Naturæ regimen, Sol, movetur, qui est cor Hominis, cui magna convenientia competit cum Sole. Unde Veteres sapientissimi Solem cor mundi & cor Solem Nominis nuncuparunt. Sicut Sol superiora collustrat, & inferiora vivificat, absentiam suam omnia ad interitum disponit: Similiter cor suam continuam motionem, & vitali calore omnia membra sustentat, lætitiæq; motus excitat: Eo autem tristitiæ, metus, & aliarum rerum gravitate debilitato, & depresso, omnia interitum minantur. Sic etiam cætera Stellæ errantes cum aliis infinitis in Homine, inquit, quærendæ & inveniendæ sunt. Luna cerebro præfiguratur, quia hoc humore suo organa quædam corporis humectat. Venus cursum suum habet in genitalibus, quo Homo ad res venereas instigatur. **Facundus**

cundus Mercurius linguam sibi appropriat : Saturnus lienum :  
Mars vesicam fellis : Juppiter epar. Elementa quoq; in Homi-  
ne, ajunt, reperiuntur. Bilis ob caliditatem designat ignem :  
sanguis ob calorem & humorem, aërem : pituita quæ frigidita-  
tem & humiditatem habet, aquam : Humor melancholicus qui  
frigiditatem & siccitatem habet terram exhibet. Meteoris insu-  
per juxta illos Homo non caret. Nam si oculorum suffusiones  
rubras aspiciamus, fulgures exhibent : ructus & crepitus toni-  
truum species : aurium tinnitus ventos : humor & lachrymæ plu-  
vias insinuant : Catharri roris similitudinem gerunt : motus con-  
vullivi terræ motum, sputa rotunda grandinem referunt. Tan-  
dem inferior mundi pars, in quâ omnia procreantur, & nutriun-  
tur, in Homine est venter inferior, in quo generatio, auctio &  
nutritio locum habent. Mineralia etiam, quæ ex fodinis eruun-  
tur, sunt in Homine ossa & vesicæ calculi. Et perfectè mihi  
exemplum, Homo ipse est, in quo etiam quatuor mundi plagas  
se offerre censent. Orientalis est facies, Occidentalis dorsum,  
Australis latus dextrum, Borealis sinistrum. At hæc omnia Rhe-  
toricè magis, quàm Physicè dici, quis non spectat? Non Analogi-  
cè ac Symbolicè, sed Propriè ac Physicè homo est Microcosmus,  
quia est, vivit, sentit, & intelligit : quia omnes omnium Mundi  
partium perfectiones habet : quia isti coguntur nubes, fundun-  
tur imbres, assurgunt montes, descendunt yalles &c.

### Quæstio II.

*An tres sint Hominis partes, quarum 1. corpus.*

*2. anima. 3. Spiritus?*

Negatur de certâ Hominis parte, nempe Spiritu. Error hic  
olim ad orcum ablegatus fuit, sed hodie reduci & magno conatu  
defendi incipit. At de quo tacet & liber Scripturæ & naturæ, de  
eo taceamus & nos.

### Quæstio III.

*An Homo duplicem habeat vitam?*

Negatur contra Goclenium, qui duplicem vitam statuit.  
Anima illi vivit perse, & in corpore accendit lumen vitæ. Addit  
ratio :

563.  
rationem: Cum Homo moritur, inquit, vita corporis interit, vi-  
ta verò animæ manet; Ex hoc vult probare quod duplex vita sit  
in Homine, essentialis nimirum animæ, & accidentalis corporis.  
Verum qui quid vita sit novit, etiam hoc merum Goclenij so-  
mnum ac figmentum esse novit. Neq; etiam propriè loquendo  
vita corporis extinguitur, cum Homo moritur. Anima abiens  
omniaque sua secum tollens, absentiam suam nil nisi cadaver gignit,  
cujus forma non positivum, sed privativum quid est.

#### Quæstio IV.

*An Homo mutari possit in lupum felem, aut aliud  
brutum?*

Negatur. Quia 1. forma non in aliam formam (nedum  
ignob. liorem se ipsam) abit. 2. è materia quavis non fit quodvis.  
Nec obstat, quod quidam sic colligunt: 1. Testatur experientia,  
homines in lupos mutatos fuisse, aut in alia bruta, & campos  
pererrasse. 2. Sagæ sæpius vulnera ostenderunt, quæ cum feles  
essent, acceperunt. 3. Magi id uno ore confitentur. Nam resp.  
ad 1. exempla quæ experientia dictitare videtur pertinent ad Ma-  
giam Dæmoniacam, diabolus est mille artifex, qui ita fascinare  
solet hominum sensus, ut se veros lupos videre putent, cum ta-  
men veri lupi non sunt. Ad 2. Diabolus est homicida, qui vulnera  
sagis facile inferre potest, ut homines decipiat sagasq; fortius de-  
mentet. ad 3. Magorum confessio nulla est, cum fluat à iudicio  
corrupto, & phantasiâ depravatâ. Sic quidam se vivos diabo-  
los esse confessi sunt: alius se granum hordei putavit, unde intra  
dies multos in cubiculo se continuit ne, si egrederetur, gallinis  
fortè obvius fieri, qui istum devorent.

#### Quæstio V.

*An solus Homo rideat?*

Affirmatur. Quia solus admiratur. Cum enim brutis res  
nova offertur terrentur, & stupore premuntur. Hominem ve-  
rò admiratio excitatur, & cum admiratione risus. Imò, quæ-  
cunq; risus detur ratio, animam rationalem præsupponendam  
esse monstrabit. Analogum tamen quoddam brutis non nega-  
mus.

B

Quæstio

## Quaestio VI.

*Cur Hominum nonnulli ad risum sint promptiores, alij tardiores?*

Actum primum ex æquo omnes homines participant, sed non ita secundum. Est hoc imprimis ob duplicem rationem. Alij ad risum promptiores sunt, quia facile admirantur: alij quia facile lætantur. Hinc contra alij ad risum tardiores sunt, quia difficulter admirantur: alij quia difficulter lætantur. Unde omnes istæ absque difficultate solvi possunt quaestiones: Cur feminae plus rideant viris? Cur pueri plus rideant senibus? cur in proverbium abierit:

*Per risum multum debes cognoscere stultum?*

Cur Sangvinei plus rideant quam Melancholici & Cholericis? Cur difficulter rideant ægri, irati &c.

## Quaestio VII.

*An Homo lachrymans, levamen sentiat?*

Affirmatur. Hominibus afflictis lachrymas esse suaves testatur experientia, unde versus:

*Expletur lacrimis egeriturq; dolor.*

Causa hujus rei est, quia cerebrum aqueæ humiditatis onere exoneratur. Omnibus enim repletionibus commune est, ut cum molestias vel toto corpori, vel parti alicui creent, si evacuentur voluptatem quandam post se relinquunt. Sic qui pruritu molestantur, cum se leviter scalpunt, & humori acri viam aperiunt, partemque à præter naturali statu ad naturalem reducunt, insignem percipiunt voluptatem. Ita & feces & urinæ cum evacuantur, quendam voluptatis sensum adferunt.

## Quaestio VIII.

*An Homo ex profuso gaudio mori possit, & ex nimia irâ non item?*

Affirmatur prius, quia Spiritus ibi dissipantur, & cor planè deserunt. Posterius negatur, quia calor & Spiritus liberè quidem per totum corpus feruntur, nec tamen extinguuntur, nec suffocantur.

Quaestio

Quaestio IX.

*An in maribus & feminis sit costarum numerus  
aqualis?*

Affirmatur. Quidam sunt in eâ opinione, mares aëmi-  
nis superari unâ costâ, quia Deus ex Adami latere costam unam  
evulsit. Sed Anatomicis opinio ista vel risu & silentio refuta-  
tur, quia æquè in maribus ac feminis regulariter duodecim in  
quovis latere deprehendunt costas. In Adamo quidem post Evæ  
creationem in latere uno fuerunt costæ duodecim, in altero un-  
decim; At hoc ad viros cunctos trahendum non est, ne ratio in-  
dividualis confundatur cum sexuali.

Quaestio X.

*An Homo vitam suam possit prolongare?*

Affirmatur, contra Stoizantes Philosophos, qui arbitran-  
tur omnia prædestinata esse fataliter, ac Hominem vitam suam  
nec bonâ diætâ, nec medicamentis prolongare posse. Si enim  
hæc sententia valeret, sequeretur quod ij, qui se ipsos vitâ priva-  
rent, diutius vivere non potuissent. Præterea ars Medica vana  
esset, quâ tamen, omnium confessione, sanitas præsens conser-  
vatur, absens reparatur, vitaq; egregiè prolongatur.

Quaestio XI.

*An Homini Mors insit?*

Affirmatur. Mors malum quoddam est, non morale, non  
artificiale, multò minus transcendente, sed naturale. Malum  
autem cum sit privatio perfectionis debitæ inesse, bonum in quo  
tanquam in fundo alieno hæreat requirit. Nullum sanè malum,  
absq; bono est. Hoc in morte est, nunc planta, nunc brutum,  
nunc homo. Quibus omnibus inest mors. 1. Fundamenta-  
liter, quoad principia. 2. Imperialiter, quoad  
moriendi necessitatem.

Adl

Ad Præstantissimum Dn. Respondentem.

**N**on homo, sed lapis est, qui non scrutarier ausit,  
Quid sit homo, quibus & dotibus exuperet.  
Cæli sidera magna, marisq; immania cete,  
Terra quadrupedes, aëriosq; greges.  
Hinc Metzneri tibi præ multis gratulor, ausu  
Quod fausto dotes pensicules proprias.

M. Johan. Sperling/

Phys. Prof. P.

**Q**uid quæso tantum juvat impallescere chartis,  
Concessasq; bonæ condere mentis opes?  
Laudo MEZNERUM: fiat MENZERUS ut olim,  
Sic voveo, votis annuat ipse DEUS!

Amico suo

Fac.

M. Johannes Durrius Dresd.

Alumnus Elect. Sax.

**Α**λλος μὲν γαίην, ἄλλος δὲ τὸν ἕρανὸν εὐρὸν,  
Ἡ πέλαγος σκοπέαυ τᾶισδε φρένεσσι μέγα.  
Θεωπεσίῳ δέ σοι φύσεως σεσφισμένῳ αἰὲν  
Ἀνθρώπων ἐρατὴν ἔυαθε γῶντιν ἔχειν.  
Τῶτ' ἄρα τὴν σοφίην πωροῦν ἔπι δίξο καλήν,  
ὡς ποτε Μισσίων κύδουμ ἀεθλα λαεῖν.

τῆς Φιλίας ἕνεκα f. Contubernali suo & Con-  
terraneo perdilecto

Christianus Reinhardus Pirnensis,  
Elect. Alumnus.

F I N I S.

05 A 1955

ULB Halle

3

003 785 203




sch.









DEO TRINUNO ADJUVANTE <sup>539.</sup>  
Disputatio Physica  
DE  
H O M I N E,

cujus brevem delineationem

cum quibusdam quæstionibus annexis

*In Celeberrimâ Electorali Academiâ Witebergensi*

SUB PRÆSIDIO

*Excellentissimi juxta, ac Clarissimi*

V I R I

Dn. M. JOHANNIS Sperlings/  
Physices Profefs. Publici celeberrimi, Præce-  
ptoris & Promotoris sui omni observantiæ & honoris  
cultu prosequendi,

*Publicæ ac placidæ disquisitioni subjicit*

TOBIAS MEZNER

Pirnensis Electoris Saxonix Alumnus.

*Ad diem 31. August.*

In Auditorio Majori

*horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI  
ANNO M. DC. XXXVI.